

duram & irresolubilem reddunt. Quare ad validissimè resolu-
tione ultimò tandem accedendum erit.

50. Si prædictis non liberentur, balnea, naturalia siue
thermas adire poterunt, nimirum sulphureas, nitrosas & a-
lumniosas. Consulunt nonnulli circa declinationem aut
tricesimum morbi diem per decem dies mane & vesperi, dua-
bus horis ante cibum ægros in balnea naturalia deducere, &
cum per horæ spacium ibi manserint, exiccatos in lectum de-
ferre, vbi cooperti sudent: In balneo aquis thermalibus tor-
rentis ritu initio spinam, partesq; resolutas perfundere, ac
post sudores oleo vulpino inungere. Iubent quoq; luto bal-
nei, partes oblinire, ac sæpè ante balnea assumere aliquid mi-
thridati aut theriaci cum conserua saluiæ, chamæpytios,
Acori. In horum naturalium balneorum defectu præparari
poterunt balnea artificialia ex decocto sulphuris addito non-
nihil ramentorum ligni sancti, fol. Chamæpyth. saluiæ, ros-
marini &c. in lixiuio cineris sarmentorum vitis, ligni Iuni-
peri & similibus.

51. Paulus consulit ante inunctionem partes fricare cum
urtica Romana recenti: aliqui cum squilla & thure, aut cum
radice Iridis contrita in oleis calidis. Sub finem potissimùm
probantur ad attrahendum sanguinem & spiritus in partem
affectam cucurbitulas sine scarificatione partibus affectis ad-
hibere, sed earum breuis sit mora, ne id quod attractum est,
dissoluatur. Simili modo Dropaces & Sinapismi sub finem
conueniunt, vt pars affecta in tumorem tantùm attollatur,
non exulceretur. Verùm post sinapismos oleo costino vulpino
&c. inungi debet.

52. Paralyfis ab externis causis, vt à vinculis iniectis, à Paralyfis.
torpedine pisce &c tollitur remotione causarum & medica- à causis ex-
mentis iam expositis, quæ intemperiem contractam corri- ternis cu-
gunt. In Paralyfi ex refrigeratione commendatur mirificè ratio,